



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 204. Vtrum Angeli possint facere miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

sed motus localis est supremus, & vniuersalissimus inter motus corporeos, vt probat Aristoteles 8. Physicor. tex. 37. & nos ex eo probauimus in philosophia in Tractatu de cælo, & mundo, quæst. 9. præsertim ex eo, quod motus localis est communissimus, ac supponitur ab alijs motibus, & conuenit corporibus etiam perfectissimis, & in statu perfectissimo constitutis; ergo natura corporea secundum motum localem attingitur à natura spiritali, ac proinde angeli possunt mouere localiter corpora, proportionaliter, ac anima rationalis mouet corpus præsertim motu locali. Confirmatur: nam videmus in corporibus inferioribus præter motus locales consequentes formam, & naturam ipsorum, puta quibus graua mouentur deorsum, leuia sursum, dari etiam motus causatos à corporibus superioribus, eo pacto, quo in mari datur motus fluxus, & refluxus causatus à Luna, & motus ab oriente in occidentem causatus à Sole, & cælo, vt diximus in Meteorologicis, quæst. 68. & 69. ergo à fortiori possunt moueri ab angelis, vt arguit S. Thomas in resp. ad 1.

15. Inferitur primò, quod licet angeli possint immediatè corpora mouere solum motu locali, tamèn per motum localem, applicando actiua passiujs, possunt mouere etiam alijs motibus, vt explicatum est num. 10.

16. Inferitur secundo animam rationalem, dum est vnita corpori, posse immediatè localiter mouere solum corpus cui est vnita, & medio proprio corpore vt instrumento coniuncto mouere corpora extrinseca. Angeli è còuersò quia habent virtutem magis illimitatam, ac non contractam ad proprium corpus, cum non informant corpus, possunt immediatè mouere quodlibet corpus extrinsecum.

QVÆSTIO CCIV.

Vtrum Angeli possint facere miracula?

S. Th. qu. 110. art. 4.

1. **Q**uæritur primò, vtrum Angeli possint facere miracula propriè dicta?

Respondet negatiuè Sanctus Thomas art. 4. quæst. 110. Probat: nam ad miraculum propriè dictum non sufficit, vt fiat aliquid præter ordinem alicuius naturæ particularis: (alioquin qui proiecit lapidem sursum, cum moueat illum præter ordinem grauitatis, & corporis grauis, faceret miraculum) sed requiritur, vt fiat aliquid præter ordinem totius naturæ creatæ; sed solus Deus propria virtute potest operari præter ordinem totius naturæ creatæ; ergo solus Deus propria virtute potest propriè facere miracula: ideoque Psalmo 71. de Deo dicitur: *Qui facit mirabilia magna solus.* Quidquid ergo angelus facit propria virtute, fit secundum ordinem naturæ creatæ, ac pro-

inde propriè non est miraculum.

2. Quæritur secundo, in quo sensu dicat Gregorius Homil. 34. in Euang. quod Virtutes vocantur illi spiritus, per quos signa, & mirabilia frequentius fiunt?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. quod dicuntur facere miracula, quia ad eorum desiderium, & petitionem Deus miracula facit, sicut aliquando etiam homines sancti in hac vita degentes dicuntur facere miracula. Dicuntur etiam Virtutes angelicæ facere miracula, quia Deus vtitur earum ministerio ad faciendâ quædam præuia miraculis, quæ Deus vult facere: eo pacto, quo angeli virtute sua naturali colligent pulueres corporum mortuorum, quæ Deus in communi resurrectione reuocabit ad vitam.

3. Quæritur tertio, in quo sensu Augustinus lib. 83. quæst. 79. dicat, quod magi faciunt miracula per priuatos contractus, boni christiani per publicam iustitiam, mali christiani per signa publicæ iustitiæ?

Respondet Sanctus Thomas, quod magi dicuntur facere miracula per priuatos contractus, quia faciunt quædam mirabilia virtute naturali dæmonum, cum quibus fecerunt pacta, quæ dicuntur contractus priuati, quia dæmones respectu vniuersi ita se habent, sicut personæ priuatæ in ciuitate. Miracula propriè vt dictum est num. 1. sunt, quæ fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ. Quæ fiunt præter naturam creatam nobis notam per virtutem creatam nobis ignotam, sunt miracula solum quoad nos. Et quia magi per virtutem naturalem dæmonum nobis ignotam faciunt quædam mira, quæ sunt præter naturam creatam nobis notam, dicuntur facere miracula quoad nos. Boni christiani, dum faciunt propria miracula per virtutem diuinam, quæ respectu vniuersi ita se habet, sicut in ciuitate se habet publica potestas, iustitia, & lex, dicuntur facere miracula per publicam iustitiam. Mali christiani dicuntur facere miracula per signa publicæ iustitiæ, dum faciunt quædam præter ordinem totius naturæ per inuocationem nominis Christi, vel per sacramenta instituta à Christo, qui etiam malis ministris dedit potestatem consiciendi sacramenta.

4. Addit Sanctus Thomas in resp. ad 3., quod etiam angeli boni possunt naturali virtute facere quædam miracula quoad nos, quia possunt facere præter ordinem naturæ corporeæ nobis notæ: sed quia non possunt facere, aliquid præter ordinem totius naturæ creatæ, non possunt facere miracula propria.